DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ASTHMATE.

5

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

ASTHMATE.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ROBERTUS KENNEDY,

SCOTUS,

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XCIV.

JACOBO GREGORY, M.D.

PROF. MED. PRACT. IN ACAD. EDIN.

Propter beneficia plurima,

Benevolentiam, amicitiamque

In ſe à teneris annis,

Maximèque patre orbatum,

Inſignes,

Hanc Diſſertationem

Sacram voluit

ROBERTUS KENNEDY.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ASTHMATE.

Auct. ROBERTO KENNEDY.

ASTHMA ab aliis generibus difficultatis ſpirandi, reditu ejus per intervalla, maximè noſcitur. In quibuſdam incipit ſine cauſâ ullâ evidente; in aliis oriri ex pravâ formatione pectoris videtur: Saepiſſimeque eſt haereditarius. Omnem aetatem invadit, utrumque etiam ſexum, quamvis marem ſaepius: Nonnullis a primâ pueritiâ adeſt, iiſque haereditarius plerumque:

A parentibus enim ad prolem hic morbus per multas generationes ſaepe tranſit.

Aſthmatis paroxyſmi plerumque fiunt nocte, et his ſignis denotantur. Veſpere antecedente, eſt interdum totius corporis moleſtia, flatus a ventriculo, et ſaepe torpor. Deinde, circiter horas duas vel tres poſtquam obdormivit, (et ſomnus hic ſaepe perturbatus), aeger ſubito e ſomno excitatur ſenſu anguſtiae et oppreſſionis circa pectus, cum reſpirationis difficultate, ſenſu plerumque caloris, et interdum dolore quodam capitis. Spirandi difficultas brevi multum augetur: Æger recumbere non poteſt, et neceſſe eſt ut caput ſit erectum. Aëra liberum et frigidum multum deſiderat; veſtimenta non ſuper pectus, aut vix quidem ſuper ullam corporis partem, tolerare poteſt: Ingratiſſimus eſt fumus aut pulvis: Etiam injucundum ſi aliquis per cubiculum ambulat. Ingraveſcente ſpirandi difficultate, et inſpiratio et expiratio lente ac laborioſe perficiuntur,

perficiuntur, et fere femper fibilo quodam ftrepente.

Ægro fedente, inclinatum eft paulum caput atque corpus, manus funt claufae, humeri elevati, nares expanfae, epigaftrium intus retractum, et conatus videntur fieri omnes, qui pulmones aëre implere poffint. Eft interdum faciei rubor; fed faepius facies eft pallida et contracta, os apertum, labia projecta, oculi obfcuri, lachrymas invitas effundentes. Vult interdum aeger, fed vix poteft, tuffire; loqui eft difficile; vox eft oppreffa et rauca, interdum penitus amiffa. Æger laborat quafi pulmones vi nullâ aëre impleri fatis poffint; totaque facies oftendit, perfici refpirationem difficultate ingente.

Ineunte paroxyfmo, pulfus plerumque celer eft, et plenus, praecipue juvenibus, et iis qui non diu morbo laborârunt. Paulatim vero fit magis imbecillus, et faepe eft irregularis et in-

termittens;

termittens: Interdum autem praeter naturam tardus eſt, et tum etiam plerumque cum intermiſſionibus. Fieri videtur intermiſſio tempore inſpirationis, vel ſtatim ante expirationem: Et ictus tempore expirationis ſe crebriores ſequuntur.

Ventriculus, perſtante paroxyſmo, interdum diſtenſione ac flatu laborat: Adeſt aliquando ſitis: Nullus eſt appetitus, et concoctio ſemper multum impedita. Si ſtatim ante paroxyſmum multum cibi ingeſtum fuerit, ab hoc difficultas ſpirandi plurimum augetur.

Primum eſt ſaepe multus calor, praecipue paroxyſmis vehementibus: Minuitur vero paulatim, frigeſcunt partes extremae, et tum ſequitur ſenſus frigoris. Quum morbus gravis eſt, ſomnus ſaepe inſtat, et aeger interdum dormitat pauliſper, et tum ſubito expergiſcitur. Dum vigilat, eſt quaſi ſomnians interdum; vel potius

ſeries cogitationum adeſt rapida et confuſa, quam cel. Floyer, hanc rem memorans vocat Anglice "*running fancies.*" Mentem ita morbo affectam, multum praeter ſolitum perturbant et nocent ſtudia, cura, animi motus, vel quicquid concitare poſſit.

Urina, manente morbo, ſolito copioſius redditur, limpida, et ſine ſedimento.

Tempus quod perſtat paroxyſmus eſt incertum: Plerumque vero remiſſio poſt quindecim vel viginti horas evenit: Diminuitur gradatim ſpirandi difficultas, aeger tuſſire poteſt, et mucus e pulmonibus exſcreari incipit. Urina parcior fit, et rubra, ſedimentumque deponit. Pulſus ad conditionem redit uſitatam; aeger in lecto recumbere et ſe dare ſomno poteſt; paucíſque diebus morbus prorſus decedit.

Haec ſunt ſymptomata praecipua paroxyſmi

diſtincti

diſtincti et gravis in iis qui morbo aliquandiu laborârunt. Sed modis multis diverſiſque eveniunt impetus leviores.

Aſthmatici interdum corripiuntur difficultate ſpirandi, quae horas paucas manet, et tum ſponte omnino decedit.

Saepe accidit nocte impetus levis breviſque; aeger expergiſcitur, ſpiritu difficili tempus quoddam laborat, fortaſſe neceſſe eſt ut capite ſedeat ſublimi. Sed reſpiratio minus difficilis brevi fieri incipit, ſomnuſque aegrum iterum premit. Die ſequente laborant plerumque aliquanto pulmones; ſed aſthma citò decedit omnino: Et talibus paroxyſmis aſthmatici ſaepiſſime corripiuntur.

Interdum certâ horâ quotidie redit impetus hujus morbi, quamvis aeger per reliquam diei partem ab aſthmate manet fere immunis. Re-

ditus

ditus illi periodici, ut in aliis morbis ſpaſmodicis, a conſuetudine magis ſemper confirmantur, et ideo facillime initio ſupprimuntur. Paroxyſmo hujuſmodi nocte accidente, quum per tempus aliquod perſtiterit, plerumque remittit paulatim ante diem, atque aeger iterum dormire poteſt. Reſpiratio die ſequente interdum omnino liber eſt; ſaepius vero leviter impedita, facileque gravior fit exercitatione, aëre impuro, et praecipue multo cibo in ventriculum recepto. Veſpere aeger languore et ſomno opprimi incipit; et nocte expergiſcitur eâdem iſtâ horâ, et cum ſucceſſione ſignorum eorundem ut nocte priore. Impetus illi, multos dies, etiam hebdomadas, redire perrexerint; et hoc vidi in aliis, et in meipſo, aſthmate cruciato a teneris annis. Hoc modo interdum me corripuerunt mane, interdum veſpere vel nocte, ſaepeque redierunt diu mirabili ordine.

Exempla fuerunt etiam paroxyſmi hujus morbi

bi periodicè redeuntis certo tempore anni, et qui ſemper incepit eodem fere die.

Quamvis nocte ſaepius accidunt paroxyſmi, tamen omnibus horis etiam incipiunt. Vix videntur tolli ulla criſi, ut morbi alii plurimi, ſed ſolum a ſpaſmo decedente.

Bene notum eſt, aſthmaticos diverſos melius valere in aëris et regionum conditionibus variis: Nonnullos (pleroſque credo) diutius morbum evitare in aëre puro et ſicco, alios reſpirare melius poſſe in ſitu humili et nebuloſo. Foeminam novi unam quae dicit ſe morbo maxime immunem eſſe in fumoſo aëre urbis.

Docemur ab illuſtriſſimo Cullen, aſthmaticos quoſdam ſaepiſſime morbo corripi in calore aeſtivo, et praecipue diebus *canicularibus* dictis *: Dum alios hieme magis morbo laborant. Pauci mutationes

* Vide Firſt Lines of the Practice of Phyſic.

mutationes ſubitas caloris et frigoris, et humidi et ſicci, ſuſtinere poſſunt: Iis igitur maxime convenit coeli temperies aequabilis et ſerena: Credoque aſthmaticis pleriſque valetudinem optimam eſſe aeſtate.

Quamvis aſthma morbus ſenum a nonnullis reputatur, tamen nequaquam ſenibus proprium eſt: Nam homines cujuſcunque aetatis, ut dictúm fuit, invadit, praecipue quum haereditarius; et in meipſo, cui haereditarius, ab ipſâ incepit pueritiâ.

Illi qui diu vexati fuerunt, et fracti hoc morbo, interdum difficultate ſpirandi laborant perpetuâ per multas hebdomadas, ſine remiſſione ullâ. Ægri ita cruciati vix in lecto recumbere poſſunt, ſed iis caput et humeri ſublimè multis pulvinaribus ſuſtinendi, et hoc tantum modo poſſunt dormire. Exempla etiam fuerunt aſthmaticorum qui nunquam plurimas hebdomadas

dormitârunt nisi sedentes, et in mensam acclinati, pulvinaribus brachiis suppositis.

Mucus, decedente morbo, primo plerumque exscreatur tenuis, postea magis crassus; saepe filis minimis nigris plurimisque coloratus est, et interdum, post paroxysmos saeviores, tinctus sanguine. Interdum luteus, et magnâ copiâ exspuitur, ita ut fere similis sit puri. Senibus plerumque maxime copiosus est, et plerisque multum augetur exercitatione parca, et languore et imbecillitate corporis.

Alternat interdum asthma cum podagrâ, hypochondriasi, hysteriâ, et aliis quibusdam morbis, et aliquando symptomaticum est. Raro mortem praesentem efficit, et multi asthmatici senes facti sunt: Sed ex eo morbi alii, praecipue hydrothorax, et dilatationes vasorum prope cor majorum, oriuntur.

DE

DE RATIONE SYMPTOMATUM.

Admodum difficilia explicatu ſunt multa aſthmatis ſymptomata; rationeſque plurimas diverſas medici de hoc morbo propoſuerunt. Sed *theorias* illas in hâc theſi ſcrutari nequaquam eſſet idoneum, atque igitur ex neceſſitate ſunt praetereundae: Satis ſit opiniones medicorum quorundam hodie celeberrimorum hic memorare. Et primo dè cauſis ipſius difficultatis ſpirandi; deinde de cauſis excitantibus.

Symptomatum explicationes, editae a celeberrimo medico Cullen, videntur eſſe longe optimae quae ab ullo auctore medico ſunt propoſitae.

Exiſtimat ille morbum a ſyſtemate nervoſo habere originem, et cauſam proximam difficultatis ſpirandi eſſe contractionem ſpaſmodicam ipſorum

ipſorum bronchiorum, a mobilitate et irritabilitate ortam, quae eorum dilatationem impedit in inſpiratione, et etiam a rigiditate, expirationi liberae obſtat. Sed argumenta cl. auctoris hic afferre non neceſſe, quia ejus ſcripta omnibus nota.

In Diſſertatione Inaugurali de Aſthmate, editâ à Doctore Carrick *, objicitur huic opinioni de cellularum bronchiorum affectione, et arguit auctor hanc non paroxyſmi eſſe cauſam: Opinionemque aliam ingenioſam profert, quam didicerat a clar. Profeſſore hujus urbis †;—opinio illa eſt, quod cauſa difficultatis ſpirandi pendet à contractione ſpaſmodicâ laryngis: Narratque auctor experimenta quae in canes cauſâ probandi fecerat. Admodum credibile eſt, et quidem vix dubitandum, hoc in aſthmate accidere; etiam multa ſigna, praecipue ſonitus ſtrepens, a

larynge

* Anno 1787.

† Praelect. Doctoris Monro.

larynge ita affectâ, explicari possunt. Sed nequaquam mihi probabile videtur hanc asthmatis causam esse solam: Spasmus enim certe ipsas afficit pulmones. Omnibus asthmaticis quos vidi, mihique ipsi persuasum est, pulmones, perstante morbo, esse contractos: Etiam dicit cel. Floyer, se sensisse pulmones unius lateris in seipso magis quam alterius laborare. Pulsus in paroxysmo irregularis, et morbi vasorum majorum prope cor ab asthmate orti, ostendunt, causam aliquam cursui sanguinis aequali per pulmones obstare, quum difficultas spirandi adest. Dicitur a Doct. Carrick, fibras musculares nullas in bronchiis fuisse demonstratas, et ideo nullam affectionem spasmodicam evenire posse. Sed membrana per omnes partes bronchiorum internas obducitur, et ostendit illust. Malpighius, texturam reticularem venarum et arteriarum cellulas ubicunque bronchiorum amplecti. Multi nervi etiam ea vasa comitantur: Et maxime credibile certe videtur, partes ita formatas spasmo affici posse.

Laryngis

Laryngis contractio vix poteſt cauſam haberi tarditatis et difficultatis quibus perficitur expiratio ab omnibus aſthmaticis: Alia igitur cauſa videtur hanc difficultatem efficere.

Si affectio laryngis cauſa aſthmatis eſſet ſola, operatio chirurgica, *Bronchotomia*, fortaſſe paroxyſmum omnino tolleret.

Sed quamvis affectio ſpaſmodica bronchiorum difficultatis ſpirandi cauſa praecipua eſſe videatur, tamen ex affectione illa omnia ſymptomata aſthmatis non explicari poſſunt. Partes etiam aliae ſpaſmo certe afficiuntur. Et hic mihi liceat ſententiam addere quam ex praelectionibus Profeſſoris Medicinae Practicae hujus Academiae ſemper juvabit didiciſſe. Illa ſententia eſt, quod in aſthmatis paroxyſmo, affectio ſpaſmodica muſculos invadit majores, reſpirationi inſervientes. Quantum hoc valet, in ſigna aſthmatis aperiendo omnibus apparebit, qui hominem paroxyſmo laborantem

laborantem notârunt. Quifque afthmaticus queritur de rigiditate circa pectus, et circa regionem *diaphragmatis*: Veftimenta leviffima et tenuiffima moleftiam afferunt, et maxime quicquid ipfum corpus circumplectitur. Urina limpida, perftante morbo, demonftrat, affectionem fpafmodicam longius diffundi, quam ad laryngem aut pulmones. His addere licet, afthma cum podagrâ, etiam hyfteriâ, et quibufdam aliis morbis fpafmodicis, alternare.

Ex illis igitur rationibus nunc memoratis, nempe contractione fpafmodica cellularum bronchiorum, atque laryngis, et praecipue ex affectione mufculorum refpirationi fervientium, multa afthmatis figna intelligere poffumus.

Paroxyfmos certo tempore redeuntes explicare perquam difficile: Nihil enim minus intelligimus quam eas re , quae corpus humanum proclive ad redeundum, poft intervalla, in eafdem

dem conditiones et eoſdem motus, efficiunt. Sed morborum exacerbationes poſt certum horarum numerum medici omnes ſaepe notant, et corpus ita affectum in febribus, plurimiſque aliis morbis, vidimus. Etiam in homine ſano ſunt reditus multarum rerum, qui certo ordine per totam vitam accidunt.

Quum poſt mortem pulmones aſthmaticorum inciſi fuerint, docemur ab anatomicis nihil apparere quod cauſam morbi aperire poſſit; et pulmones non diverſos ab iis aliorum hominum videri. In multis *dyſpnoeae* ſpeciebus, pulmones poſt mortem humoris ſeroſi pleni inveniuntur: Unde patet, aſthma originem habere ſolum a genere nervoſo. Interdum vero, quum aſthmatici, poſtquam difficultas ſpirandi diu et ſaeve perſtiterit, mortui ſunt, effuſio humoris aquoſi in pulmonibus inventa eſt; ſed hoc in aſthmate eſt morbi effectus, in *dyſpnoeâ* autem morbi cauſa.

Sibilus ſtrepens, aſthma comitans, certe oriri poteſt a contractione laryngis: Sed adeſt etiam interdum ſine ulla difficultate ſpirandi; et tum effici videtur a muco circa tracheam et pulmones haerente.

Cauſae aſthmatis excitantes ſunt quamplurimae; et aſthmatici ſecundum diverſitates conſtitutionum afficiuntur.

Medicis omnibus obſervatum eſt, cauſam unam paroxyſmi frequentiſſimam, eſſe ventriculum cibo multo, vel concoctu difficili, repletum. Maxime enim ſe mutuo afficiunt ventriculus et pulmones; ita ut, quum ventriculus laborat, fere ſemper laborant etiam pulmones: Et, quum adeſt difficultas ſpirandi, laeditur multum concoctio. Poſt epulas largiùs aſſumptas, omnibus aſthmaticis eſt moleſtia quaedam: Et ſi nocte ſint, et poſtea aeger in lectum ſe recipiat, vix ullus aſthmaticus non paroxyſmo correptus fuerit.

Quum perstitit asthmaticus aliquandiu sine morbo, interdum totum corpus quodam modo plenum fieri incipit; et tum ab hoc adeo afficiuntur pulmones, ut, praegresso aliquo languore, denuo excitatur asthmatis paroxysmus. Unde patet, curam multam de cibo esse asthmaticis debere; et etiam quam praestantissima est exercitatio sub dio. Irritabilitatem enim minuit, digestionem, et cursum sanguinis aequalem, promovet, totum roborat corpus, et plenitudini obstat.

Subitae aëris mutationes asthmaticos plerosque vehementer commovent; et hi igitur certis partibus anni sunt morbo magis obnoxii.

Catarrhus ita asthmaticos afficit, ut quum breve tempus perstiterit, plerumque sequitur morbi paroxysmus.

Sequuntur aliae quaedam caufae excitantes, à quibus faepe paroxyfmus oritur.

Frigus corpori vel pedibus admotum.

Exercitatio vehemens.

Exercitationis defectus.

Evacuationes omnes debilitantes.

Studia nimia.

Animi motus.

Odores certi, pulvis, fumus.

Calor multus externus.

Refpiratio in aëre impuro.

Veftimentum, aut tale, pectus arcte cingens.

Certae res, quae hominibus quibufdam in ventriculum receptae, paroxyfmum efficiunt.

DE SIGNIS MORBI LEVANDIS.

Quamvis bene cognita ſunt aſthmatis ſymptomata, et cauſae etiam non ignotae, tamen de curatione medici adhuc quidem ferè neſcii ſunt. Fortaſſe enim inveniri nemo medicus ingenuus expertuſque poteſt qui dicet, ſe hunc morbum curari vidiſſe; quin potius fatebitur, vires medicamentorum tantum ſigna urgentia levare poſſe; res ſemper aſthmaticis lugènda. In hac theſi igitur nihil dici poteſt niſi pauca, ſolito more, primò de rationibus paroxyſmum levandi, et tum de modis quibus aſthmatici ad reditus paroxyſmi praecavendos uti poſſunt.

Laudata fuerunt omnibus temporibus medicamenta multa propter vires in aſthmate leniendo, atque etiam curando; medici vero nunc fatentur, fidem vix ullam pleriſque haberi poſſe.

Nam

Nam et illa etiam quae primo ſigna morbi tollunt, vires, ut in aliis morbis ſpaſmodicis, brevi amittunt, et poſtea dantur fruſtra.

Ex *evacuationibus*, vomitus a medicis ſaepe praeceptus, et quidem frequenter prodeſt. Si ventriculus ſtatim ante paroxyſmum cibo oneratus fuerit, vel concoctio impedita, tum multum juvabit: At, quamvis non laborat ventriculus, tamen vomitus difficultatem ſpirandi ſaepe levat: Et nonnulli aſthmatici ad hoc remedium fugiunt, quandocunque paroxyſmum inſtantem percipiunt.

Interdum evacuatio lenis inteſtinorum multum prodeſt, praecipue ſi adeſt calor, et aliquod febris. Hoc vero melius eſt efficere ope *enematum* quam catharticis devoratis; quia pauci aſthmatici ullam rem irritantem in ventriculum, perſtante paroxyſmo, recipere poſſunt, quin augetur difficultas ſpirandi.

Sanguinis

Sanguinis detractio saepe juvat iis qui tunc primum asthmate correpti sunt, et iis qui sunt pleni et juvenes: Sed maxime nociva illis qui imbecilli sunt et extenuati a crebris morbi impetibus; nam, auctâ imbecillitate, nocet, et ita etiam alios morbos inducere potest.

Ex *antispasmodicis*, *opium* et liquor *aethereus* videntur esse in hoc morbo utilissima. Dixit clarissimus medicus Cullen *, se invenisse opium magis prodesse in asthmate, quam ullum aliud medicamentum. Foeminam unam novi, diu asthmaticam, quae semper, paroxysmo instante, opii tinctura utitur; quâ saepe paroxysmus multo levatus est, interdum subito omnino sublatus. Dicitur opium nonnunquam nocuisse; sed hoc certe raro quidem accidit †.

Æther frequenter in asthmate utilis est, et saepe

* Vide First Lines of the Pract. of Physic, § MCCCXCVII.

† Ibid.

ſaepe me paroxyſmo liberavit: Sed, ut alia antiſpaſmodica, cito interdum vires amittit. Largè dari debet, et ſi primus hauſtus nihil prodeſt, brevi poteſt repeti. Quum datur intervallis, parcè, potius videtur nocere.

Haec duo medicamenta, aether et opium, commiſta, interdum majores habere vires inventa ſunt, quam ullum eorum per ſe adhibitum.

Quaedam gummium in hoc morbo etiam proſunt, praecipue quum paroxyſmi remiſſio aliqua eſt, ſed ſpiritu quodam difficili adhuc manente. Gummi ammoniacum et aſa-foetida videntur eſſe optima.

Moſchus, alkali volatile, et ſcilla, paroxſmum levârunt interdum, atque ex iis moſchus fortaſſe optimus eſt: Sed ejus effectus incerti ſunt.

Quum tuſſis et muci exſcreatio paroxyſmum ſequuntur, valent interdum quaedam alia ex *ex-*

pectorantibus;

pectorantibus; praecipue, ut mihi videtur, *mucilaginosa*, tussimque leniunt, faucibus illitis.

Laudati a nonnullis etiam sunt flores zinci: In aliis vero morbis spasmodicis non multum valent. Vesicatoria saepe adhibita sunt, sed eorum effectus sunt dubii. Emetica, in dosibus parvis, ita ut nauseam tantum excitent, a quibusdam etiam commendata.

Nonnulli asthmatici auxilium habuerunt a fumo herbae nicotianae in os recepto.

Liquor *coffea*, a quibusdam medicis aestimatus, ab aliis vero inutilis vel nocivus habetur. Paroxysmum mihi saepe minuit, et nunquam nocere videbatur. Validum potari debet infusum, non multo lacte commistum.

Saepe juvant *pedeluvia*, praecipue quum decedere paroxysmus incipit, et si partes extremae frigescunt.

Quum

Quum redit paroxyſmus horâ diei certâ, multum ſaepe prodeſt ad eum praecavendum vomitio brevi tempore ante impetus horam. Si nocte accidit, maneat e lecto aeger; vel ſi mane, exſurgat ante horam quâ incipit, et vomat. Interdum a paroxyſmis hujuſmodi liberatus fui, tantum manens e lecto donec impetus hora tranſierat, et, nocte ſequente, aſthma vix unquam rediit.

Dum perſtat paroxyſmus aſthmatis, aeger debet ſemper reſpirare aëra purum et ſiccum, et non nimis calidum, fugiatque maximâ curâ pulveres, vapores, et fumum: Loqui etiam nocet, et vitanda ſunt omnia quae mentem agitare poſſunt. Diaeta eſſe parca debet, et ex materiâ quae facile concoquitur. Caro vix unquam devorandum; paniſque bonus eſt fortaſſe cibus minime nocivus. Potus etiam debet imbecillus eſſe ſemper: Nocet vinum, et omne genus cereviſiae. Quibuſdam aſthmaticis potiones calidae, aliis

frigidae non conveniunt: Potio autem tepida optima plerisque.

Ad praecavendos asthmatis paroxysmos, oportet causas vitare omnes excitantes notas, et curam multam adhibere de aëre, exercitatione, et diaetâ.

Aëris species diversas, et coeli mutationes, quibus certe eximii saepe effectus, debet, si fieri potest, omnis asthmaticus experiri. Exercitationem vehementem pauci asthmatici ferre possunt; sed exercitatio modica iis, ut jam dictum, magnopere prodest. Igitur maxime juvant equitatio, ambulationes, gestatio in curru, navigatio *.

Quamvis

* Parentes vidi juvenis, asthmate a pueritiâ laborantis, qui narrabant, filium, quum navigaret, liberum omnino a morbo fuisse; si autem domum redibat, eum corripuit iterum asthma. Juvene vero ad mare redeunte, asthma cito decedebat.

Quamvis dum paroxyſmo laborantes aſthmatici diaetâ parca ſemper uti debent, tamen, abſente morbo, cibi copiam nutrientis poſtulant; et optime dicitur ab illuſtr. Cullen, quod aſthmatici, quanquam multo cibo in ventriculum recepto ſemper laedantur, tamen diaetam nutrientem requirunt. Quicquid vero tarde concoquitur, et omnia quae flatus gignunt, ſunt fugienda: Maximeque vitanda eſt alvus aſtricta, quae ſemper nocet.

Multum vini aſthmaticis peſſimum; ſed vinum purum, interdum modice ſumptum, corpus excitat et roborat.

Illi qui morbo imbecilli ſunt, et extenuati, omnem modum adhibere debent ad totum corpus roborandum, quia imbecillitas aſthma inducit. Cortex Peruvianus, et quaedam alia aſtringentia et roborantia, hic etiam prodeſſe poſſunt: Nam illa vix unquam videntur nocere,

quum

quum dantur abſente difficultate ſpirandi. Lavatio etiam frigida, quanquam multis certe non convenit, tamen a quibuſdam tentari poteſt, praecipue ſi aegri lavant in mari.

Contra vero, quum corpus calefactum et plenum eſt, multum juvabit, fortaſſe paroxyſmum praevenire poterit, ſi aeger lenibus medicamentis alvum evacuat, vel ſi parco cibo paucis diebus utatur. In eo ſtatu proderit praeterea exercitatio fere, ut ait Celſus, " uſque ad laſſitu- " dinem."

Ita veſtiti ſint aſthmatici, ut corpus calidum, et perſpiratio libera et aequalis eſſe poſſit. Quum dormitant, ſint in conclavi quam maximo, non multis ſtragulis obtecti.

Motus animi aſthmaticos multum afficiunt; et ille, qui dies poteſt agere ſine ſollicitudine aut curis, diutiſſime a morbo liber manebit. Oti-

um

um igitur et ſecuritatem petere debet quiſque aſthmaticus, atque dicere,

Fata ſi liceat mihi
Fingere arbitrio meo,
Temperem Zephyro levi
Vela, ne preſſae gravi
Spiritu antennae tremant.
Lenis et modice fluens
Aura, nec vergens latus
Ducat intrepidam ratem.
Tuta me media vehat
Vita.

SENICÆ OEDIPUS, Act IV.
Chor. ad Finem.

Intuentes in morbum hunc ſaevum quidem dolemus, notam eſſe nullam rationem medendi: Miſeris vero ſperare licet aliquem medicum, iis magis felicem, remedium tandem eſſe inventurum.

FINIS.